

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Gallia multis modis Lutheranizans sive de contemptu concilii Tridentini in Gallia**

**Masius, Hector Gottfried  
Lintrup, Søren**

**[Hafn.], [1710]**

Inhaltsverzeichnis

[urn:nbn:de:bsz:31-67575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67575)

Conspectus  
Dissertationum ad histo-  
riam Lutheri, refor-  
mationis, A. S. C. et  
Ecclesiae Luther.  
spectantium.

1. M. I. A. W. de Lutheri o-  
mnia in omnibus
2. Dauhawen Memoria Thau-  
massandi Lutheri.
3. Valentini Alberti, de virtute  
heretica, Lutheri, Matthiae Fla-  
cii et Jacobi Andreae.
4. Scharfii, Joh. Lutherus re-  
formator.
5. C. T. Kangovis editio Pontifi-  
cis Rom. Leonis X. litterae in-  
dulgentiarum.
6. Danielis Gaxeri in natalibus  
memoriam Lutheri oratio, qua-



lexam annuali sit papa ruanus.  
7. loh. Wencesl. Sens Lutherus  
cum Sole comparatur.

8. Professio Wysbague Dr. Cris.  
Wendts, Wendts, J. Martii

Lutherus <sup>praeter intentionem adhaeret</sup>  
Wendts <sup>idem dicitur & fupra p. 16. in Walsbyllis quibus in</sup>  
9. loh. Baldhaf. Bernhold de cha. <sup>duar. 1699.</sup>

factenbas pseudopropheta nuy  
in Martino Lutheri uirtute  
omnium obuiis.

10. Laurentii Rhodmanni oratio  
de praecipuis dei beneficiis a  
deo per VII. Saxoniae Electores  
et d. Martin. Lutherum et d.  
Philipp. Melancthonem in aca-  
demiam Witeberg. collatis.

11. loh. Fr. Mayer, utrum B. Lu-  
therus philippo Landgrauio  
bigauriam concesserit.



12. Joh. Andr. Jarzii, pro lu-  
thero ex accinatione styli re-  
prehensio.
13. Pauli Jacobi Eckhardi Vindi-  
ciae J. Lutheri et J. Melanch-  
thonis ab infami peritura.
14. Martin. Lutheri aliquot nomi-  
na propria germanorum.
15. Nicol. Leptevien oratio histo-  
rica de initio, causis et pro-  
gressu C. A. et de vita ac  
laboribus, J. Mart. Lutheri, po-  
stremae aetatis Eliae.
16. Gottlieb Wernsdorffii, Augusti-  
nae confessionis historia.
17. Joh. Balthaf. Bernhold de fi-  
dei formulae praecipue A.  
C. iustitia et usu.
18. Alb. Georg. Schwartzii de stylo  
A. Conf.




19. Io. Christ. Guesz filii de Au-  
gustana confessione Pabli dot-  
Sicii, medici Halensis cura grae-  
ce reddita.
20. Io. Wilhelm. Loeperi, de aucto-  
ritate A. C.
21. M. Henr. Christ. Crellii de di-  
vinae providentiae vestigiis  
in scripturae A. Conf. negotio.
22. Erasm. Parthol. Egerland ad  
do Regulam summi numeris  
circa A. C. providentia.
23. Andr. Westphalii de duabus  
Ponderatione pro studio servatae  
A. C. etc.
24. Acad. Francos. Comitia se-  
culana in A. C.
25. Geshardi Filii, Vindictae A. C.
26. etud. Vindictae Lutheranae.
27. M. Andr. Caroli de Religio-  
ne Lutherana.



28. C. Trib. Kangis, ecclesiam  
lutheranam non schismaticam  
esse.
29. Leveni Lintrupii Anglia  
plantavit modis lutheranizans.
30. eiusd. sub Heib. Gottfr. Nassio  
Gallica multis modis luthera-  
nizans.
31. Joh. Kalckmanni proreca refor-  
mationis lutheranae tuba de  
perpetuo christianorum iubi-  
lata. Additus est catalogus  
doctorum et professorum theo-  
logiae in academia Witteber-  
gensi.

F r u i s .





# GALLIA

MULTIS MODIS

*xxx.*

LUTHERANIZANS,

SIVE

DE

CONTEMPTU  
CONCILII TRIDENTI-  
NI IN GALLIA,

EXERCITATIO HISTORICO-THEOLOGICA,  
PUBLICAE DISQUISITIONI EXPOSITA

A

PRAESIDE

*Cent. hist. p. 594.*

HECT. GOTFRIEDO MASIO,  
THEOLOGO HAFNIENSI CELEBERRIMO,

RESPONDENTE

SEVERINO LINTRUPIO.

JUXTA EXEMPLAR HAFNIENSE RECUSUM

Ab ANDREA HEBERO.



all -

31 an 801A 896 R

## APPROBATIO.

**O**Ptime capitur avis, cum propriis implicatur alis; Et optime cæditur hostis, cum proprio jugulatur gladio; Bellique cujuslibet vis ac robur domestico dissidio sponte corrui; Id curiosis hifce subtilitatibus suis palam faciunt *Nobilissimus & plurimum Venerandus Dn. PRÆSES, uti & Clarissimus & ingeniosissimus Dn. RESPONDENS*, dum Ille de *Auctoritate Conciliiabuli Tridentini*, hic vero de *auctoritate Synodi Dordracenæ*, tam exquisite differunt. Intelligere enim hinc, & quidem insigni cum fructu, legentes queunt; Quod neutri horum Conciliorum titulus *Concilii Oecumenici* competat; Et, quod *Synodus Tridentina*, utpote Mater tot erraticorum & monstrosorum dogmatum, a qua tot illustria capita, sicut corpore, ita animo distiterunt, nunquam fuerit iusta & legitima; Et quod *Synodus Dordracena*, quæ in veritatem Evangelicam toties impegit, vicinamque adhuc Angliam in quam plurimis dissentientem invenit, minime gentium fuerit satis oculata & cauta. Unde adstipulamur merito beatissimo Chemnitio nostro, in praefatione examinis Concilii Tridentini de Conciliis hæc monenti: Magnam quidem esse Conciliorum in Ecclesiis auctoritatem, si secundum regulam & normam Scripturæ judicent, sententiasque suas certis perspicuisque Scripturæ testimoniis comprobent; Debet enim tum Ecclesia ipsis, tanquam voci cœlesti, summam reverentiam & obedientiam; Sed nudus tamen Concilii titulus exauditus, non statim, tanquam caput aliquod Gorgonis, in saxa, truncos & stipites nos convertet, ut amplectamur temere quodlibet, sine examine, & sine ulteriori inquisitione & dijudicatione: Decreta enim Synodorum, non tanquam dictatoria mox & ἀνευθεύματα, prætoriam vi & potestate (sicut ab Areopagitis Tridentinis, pariter & Dordracensibus factum est) Ecclesiis obtrudenda sunt; sed ostendendum potius, quibus ex fundamentis & fontibus, damnantur falsa, confirmantur vera: ita conscientiis consulitur, ita pax conciliatur! Censui Hafniæ Pridie duum Decembr. Anni M. DC. XCV.

H. BORNEMANN. D.

AP ANDREA HEBER.



## LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

**C**oncilii Tridentini nævos non nostræ tantum & Reformatæ Ecclesiæ Doctores passim accusant, sed ipsi etiam Pontificii dudum observarunt. Inter nostrates quidem B. Chemnitius in *Exam. Conc. Trid.* (quem frustra *Martinus Gertneus in Chemnitio Reformato*, & *Jodocus Ravenstein Tiletanus* sparsim laceßere conati sunt, nam qui totum opus ex professo, ut loqui solemus, adortus fuerit, nemo hæctenus, quantum mihi quidem constat, inventus est) *Hulfemannus in Man. Aug. Conf. contra Hagerum*, *Balduinus in Scripto peculiari germanico*, *Danbauerus in Myste-rio Syncretistæ*, *Calovius in Matæologia Concilii Tridentini*, aliique hanc causam perorarunt, ne quid de Scriptis Anti-Pontificiis in genere dicam, in quibus identidem Tridentini Patres vapulant.

Inter Reformatos *Job. Henricus Heideggerus Anatomæ Historico-Theologicæ Concilii Tridentini* aliquot abhinc annis edidit, cui non ita pridem *Tumulum Concilii Tridentini*, sat magnæ molis librum, subjunxit; in quo potissimum aduersus *Augustini Reding inextinctam Concilii Tridentini veritatem* calamum stringit.

Inter ipsos vero Pontificios ita *historiam Concilii Tridentini scripsit Petrus Suavis Polanus (Paulus Sarpus Venetus)* ut ubique nævos, errores, certamina, lites atque affectus Patrum Tridentinorum proderet. Illi quidem post octo demum lustra opus aliquod Romanæ Curix adultores opposuere, sed eo etiam successu, ut quæ arma contra *Petrum Suavem* sumpserant, nonnunquam contra Concilii Tridentini auctoritatem, imo contra se ipsos converterent. *Pallavicinus* certe ita Petro Suavi obviam ivit, ut veritati locum passim faceret, nec quisquam pejori fere titulo purpuram Cardinalem meritus est. Ante illum *Seigio Henricus Censuram Theologicam & Historicam*, ut inscribitur, contra *Petrum Suavem* in lucem edidit, quem magis sincerum quidem, sed tamen hallucinatum esse ostendit *Cæsar Aquilinus de Tribus Historicis Concilii Tridentini*, qui ipse tamen de *Pallavicino* fatis gravem censuram tulit. Et vero miror in dubium a quoquam vocari amplius posse, quæ *Petrus Suavis* posterita-



ti reliquit, postquam *Fratres Puteani* (hos enim auctores libri fuisse accepimus) publici juris fecerunt *les memoires du concile de Trente pris sur les originaux*, ubi mandata Regis Galliae ad Legatos, eorumque literas e Concilio Tridentino scriptas, inque iis mille querelas offendas, omnia affectibus dari nihil veritati. Patet ex illo libro, quam non falsa sint Petri Suavis testimonia de Italorum ambitione & violentia, & quantopere Galli Reformationem Ecclesiae Romanae olim esflagitarint, sed rejecti tamen semper fuerint, votorum non pondere quidem sed numero victi. Mirum certe a Pontificiis permissum esse, ut ille liber publica luce donaretur, qui causae Pontificiae jugulum petit. Praeviderat Auctor praevudicium inde oriturum, & quantam sibi invidiam constaret, hinc nomen suum reticens in limine libri emphatica hac excusatione se tuetur. *Si quelquun juge que l'intention de celuy, qui a fait ce Recueil, soit autre, que pour apprendre à ceux de ce siecle & représenter a la posterité la verité de l'histoire du Concile de Trente, faire connoître l'autorité & la Majesté des Rois tres Chrestiens, la grandeur du Royaume, la fidelité & courage des Francois, les droits & libertés de nostre Eglise Gallicane, ou qui calomnie que rien aye este adjouté, osté, diminué ou changé des originaux; Ainsi Dieu l'aide & le juge comme il fait autruy.* Adeo non inanis fuit querela Andreae Dudithii, quinque Eccles. Episcopi, qui in ipso Concilio Tridentino clarus & Maximiliano Caesari acceptus (Vid. *Thuanus lib. 56. p. 476.*) gravissimum de Tridentino Senatu iudicium reliquit: *quid profici poterat &c.* quod iudicium plenius & prolixius Petrus Suavis historiae suae Tridentinae praefixit, & ex illo *Danbauerus Myserio Syncretismi* ac *Strauchius Dissertationi de aequitate in censendis haereticis* inseruit; Orationes vero *Dudithii* & varia ad Conc. Trid. pertinentia edidit *Quirinus Reuterus*, *Offenb. 4. 1610.* quem tamen librum raro reperias. *Caroli Molinæ* consilium super facto Concilii Tridentini *Scherzerus Bibliotheca suae Pontificiae* intulit. *Cl. Espencae* locus e *comm. in Ep. ad Tit. oper. fol. 473.* contra Concilii Tridentini auctoritatem notus est, & a nobis alibi memoratus. Cum vero in ipsa hac dissertatione mentio facta fuerit, Pontificios doctiores fusque deque habere decretum Conc. Trid. quo versio vulgata authentica habetur, iuvat adscribere *Jesuitæ Gr. de Valentia* locum, qui ad *Serarium* scribere ausus est; *Posse sine periculo de vi atque sensu definitionis*



tionis Concilii Tridentini aliter quenquam opinari in literis die 16. Oct. 1590. Ingolstadt ad Serarium datis, quas prodidit Serarius prolegom. fol. 119.

In specie vero, quantum Regum ac Principum Christianorum auctoritati derogarit Concilium Tridentinum, videre est in scripto Anonymi: *Revelatio Consiliorum, que initio Synodi Tridentinae contra orbis Christiani Reges, Principes &c. sunt inita*. Et jam ante illum Anno nempe 1587. Innocentius Gentilettus Illus Delphinensis in Examine Conc. Trid. Henrico II. Regi Galliarum dicato, demonstrare conatus est, in multis articulis hoc Concilium antiquis Conciliis & canonibus Regiaeque auctoritati contrarium esse, in quo libro multa solide & accurate dicta reperio. Unde mirum non est, Galliae Reges in hunc usque diem adductos nondum esse, ut publica auctoritate Concilium Tridentinum in Gallia promulgari paterentur, cum non a solo Gentiletto, sed aliis quam plurimis observatum sit, cum auctoritate Regum & Ecclesiae Gallicanae libertate consistere illud non posse. Adeo frustra Pontificii de Ecclesiae suae unitate gloriantur, qui jam ne quidem in principio & regula fidei conveniunt.

Hanc vero materiam in Gallia degens penitus inspiciendi occasionem nactus de *dissensu Ecclesiae Gallicanae a Romana* plura tum quidem congeffi, & sub titulo *Galliae schismatica* scriniis meis inserui, unde in lucem forte pro re nata protrahi aliquando possent. Fuit mihi ea in Gallia occasio, quae ad hanc materiam spectant, e variis monumentis & scriptis quandoque voluminibus eruendi, quam alibi frustra quaesivissem; quae nunc eo lubentius relego, quo magis memoria recolo, non omni labore atque industria hunc qualemcunque foetum caruisse. Ejus vero partem aliquam, *Disputationis Academicae* loco Tibi, Benevole Lector, sisto, ut de reliquis judicium ferre possis.

Dissertationem vero mecum tuebitur clarissimus noster *Lintrupius*, *Schole Bergensis in Norvegiae Rector* vocatus, qui cum insignem thesaurum amplissimae eruditionis collegerit, & Theologiae Polemicae intimiora adyta pervagatus, si quis alius, optime norit, quid argumenta κατὰ διδασκαλίαν valeant, materiae nobilitate captus, & quo fertur in studia Academica impetu animatus, ante abitum Respondentis vicibus fungi animum induxit. Gratulamur quidem illi quam natus est Spartam, sed majus isti doctrinae & virtuti Theatrum me-



rito precamur, ægre ferentes, a Musarum nostrarum amplexibus divelli, qui studiis Academicis ita innutritus est, ut majora pulpita ornare propediem potuisset. Sed cum aliter visum divinæ providentiæ fuerit, id saltem serio optamus, ut hunc sibi filium postliminio vindicet Academia mater, neque ad majora natum hominem in pulvere Scholastico consenescere patiatur. Pauci omnino sunt, qui recta semita ad Theologiæ atrium contendunt, alii enim illotis manibus ad hæc sacra accedere non verentur, Theologici muneris partes omnes se implevisse rati, si cruda sua studia statim in suggestum propellant, & felici loquacitate supinam tegant ignorantiam. Alii non omnino quidem rudes cum famulatio Theologiæ quendam familiaritatem quidem ineunt, Philologia puta & Philosophia, ipsam vero Dominam eminus tantum & velut *ἐν παράδεισῳ* venerantur, insulsi illis Procis similes, qui conciliato Ancillarum favore facilem sibi Penelopen pollicentur. Alia *Lintrupio* nostro mens fuit, qui variis linguarum scientiarumque præsiis instructus, id unice sibi agendum esse existimavit, ut his adminiculis ad majora sacræ cognitionis incrementa uteretur, neque *Theologiam illam Quodlibeticam* addisceret, sed solidis fundamentis innixam scientiam sibi compararet. Unde ea nobis spes semper fuit, fore, ut in ea cathedra, cui se totum consecraverat, & virtutis præmium & laboris stimulum aliquando reperiret. Sed aliam ipsi metam provida Numinis cura tantisper assignavit, cujus nutum sequi gloriosum duxit, meliorem ibi studiisque suis magis conformem sortem præstolaturus. In quem finem quotquot vel ingeniis florentissimis bene cupiunt, vel bene meritis æquum statuunt pretium, operam atque studium collaturos esse confido. DEUM vero ter opt. Max. supplex veneror, ut huic lampadi oleum suffundat, corporisque vires excitatæ mentis vigori pares esse jubeat, ut multum inde fructum Ecclesia vera metat per Dominum nostrum  
Jesum Christum Amen.